



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Doctor Mellifluus S. Bernardus Magnæ Matris Cultor  
Eximius, Et Ex Ordine Sancti Benedicti Sacellanus  
Quartus. Sive Ea quæ Doctor mellifluus de laudibus  
Virginis Matris scripsit in gratiam magnæ ...**

**Bernardus <Claraevallensis>**

**Nevhsii, MDCLXXV.**

Sermo LI. De Mariae Purificatione & Christi Circumcisione. Tom. 2. p. 238

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37156**

quod virum non cognoscis : bibant jumenta quod de humilitate singulariter gloriaris. *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ, Luc. 1.* Nam virginitas sine humilitate habet fortasse gloriam, sed non apud Deum. Humilia semper excelsus respicit, & alta à longè cognoscit, *Psal. 137.* Humilibus dat gratiam, *Jacob 4.* superbis resistit. Sed fortè ne in his quidem duabus metretis plena est hydria tua : capax est etiam tertiæ, ut non modo Angelus & jumenta, sed ipse jam bibat Architriclinus. Hoc enim vinum bonum, quod servavimus usque adhuc ; minister Angelus haurit, sed ut ferat Architriclino. Patrem loquor qui Principium Trinitatis, Architriclinus jure vocatur. Ait sanè Angelus, fecunditatem Mariæ commendans quæ tertia est metreta : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, Luc. 1.* Ac si dicat : Cum eo solo tibi est generatio ista communis.

## SERMO LI.

### De Mariæ Purificatione & Christi

Circumcisione. *Tom. 2. p. 238.*

**Q**uid est quod dicimus beatam Mariam purificari ? Quid verò quod ipsum Iesum dixi circumcidi ? Enim verò tam non indignit illa purificatione, quàm nec ille circumcissione. Nobis ergo & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitijs continentes, primùm per ipsam continentiam circumcidamur, deinde à commissis per pœnitentiam purificemur. Quid est autem quod Maria portat Iesum in utero, Ioseph in humero, in Ægyptum scilicet iens & inde rediens : Simeon portat in brachiis ? Significant isti tres, tres electorum ordines, Maria prædicatores, Ioseph pœnitentes, Simeon bonos operatores qui enim aliis evangelizat, quasi Iesum in utero portat, ut eum aliis vel potiùs alios ei pariat.

De



De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat Galat. 4. *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Qui verò pro Christo laboribus fatigantur, qui persecutiones patiuntur, qui nulli mala inferunt, sed ab alijs illata patienter ferunt, merito isti portare eum in humeris dicuntur: quibus & ab ipsa veritate dicitur, Luc. 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* Si quis autem est, qui porrigat panem esurienti, potum siti-  
tienti, cæteraque misericordiæ opera sollicitè impendat egen-  
ti, nonne iste rectè videtur eum portare in brachiis? Hujus-  
modi enim dicturus est in iudicio Dominus, Matt. 25. *Quam-  
diu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.*

## SERMO LII.

De domo divinæ Sapientiæ, id est,  
VIRGINE MARIA. *Ibid.*

**S**apientia ædificat sibi domum, &c. *Prov. 9.* Cum multis modis  
Sapientia intelligatur, quærendum est quæ sapientia ædifica-  
vit sibi domum. Dicitur enim *sapientia carnis Rom. 8.* quæ inimi-  
ca est Deo: & *sapientia hujus mundi, 1. Cor. 3.* quæ stultitia apud  
Deum: utraque ista secundum Iacobum Apostolum *Iacob. 5.*  
*terrena est animalis, diabolica.* Secundum hanc sapientiam dicun-  
tur sapientes ut faciunt mala, benè autem facere nesciunt: & in  
ipsa sua sapientia arguuntur & perduntur, sicut scriptum est  
*1. Cor. 3. Comprehendam sapientes in astutia eorum, & perdam sapi-  
entiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et utiq;  
talibus sapientibus videtur mihi dignè & competenter dictum  
Salomonis aptari, quo ait: *Est malitia quam vidi sub sole, virum  
qui videtur apud se sapiens esse.* Nulla talis sapientia, sive carnis,  
sive mundi ædificat, immo destruit quamcumque domum in-  
habitat. Est ergo alia sapientia quæ desursum est: primùm qui-  
dem